

dictis iusto emptionis titulo comparavit, contulimus canonicis et coenobio supra scriptis cum omni iure, quod nos et ecclesia nostra habebamus in ipsis, a fratribus eiusdem coenobii qui pro tempore sub regula beati Augustini militarint ibidem inconcusse ac libere perpetualiter obtinendos. Sane ut circa praemissa, quae ad honorem dei sic rationabiliter sunt peraeta, oblivio, sinistra interpretatio, iniquorum calumpnia nullum sibi locum valeant invenire, in memoriam perpetuam et vivacem praesentem paginam conscriptam super omnibus praelibatis sigillorum nostrorum appensionibus iussimus consignari praesentibus et consentientibus nostri capituli fratribus, quorum nomina sunt subscripta: Hartmannus canonicus, Bartholomaeus custos, Conradus archidiaconus, Johannes canonicus, Gebehardus canonicus, Johannes cantor, Thilmannus canonicus, Herbertus archidiaconus, Richardus cellerarius, Bartholomaeus canonicus, Conradus canonicus, Heinricus scolasticus, Otto canonicus, Vlricus canonicus, Theodericus canonicus, Gotschaleus de Alto nido, Heiso de Mersburch, Ulricus de Zweime milites et alii quam plures fide digni. Acta sunt haec anno domini M^o.CC^o.LXXXIX^o. III^o Kal. Julii pontificatus nostri anno VI^o.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit den ziemlich wohl erhaltenen Siegeln des Bischofs und des Capitels an Fäden von rother und gelber Seide.

No. 32. 1289. 25. Aug.

B. Heinrich von Merseburg bezeugt, dass und auf welche Weise die Irrungen zwischen Dietrich dem vormaligen Probst zu St. Afra in Meissen und dem Thomaskloster wegen gewisser Ansprüche des ersteren durch Vermittelung und Schiedsspruch beigelegt worden sind.

Nos Heinricus dei gratia Mersburgensis episcopus recognoscimus ac universis hanc litteram inspecturis volumus esse notum, quod omnis controversiae quaestio, quae movebatur inter dominum praepositum et conventum sancti Thomae apostoli in Lipzk ex una et dominum Theodericum quondam praepositum sanctae Afrae in Misna ex parte altera super praebenda et iure fraternitatis, quod idem dominus Th. in iam dicto monasterio sancti Thomae vendicabat, nobis ac domino Meinero decano nostrae ecclesiae Mersburgensis mediantibus et honorabilibus viris domino Hartmanno de Dasle et Heinrico scolastico dictae nostrae ecclesiae canonicis arbitris seu arbitratoribus electis et constitutis ex parte praefati domini praepositi et conventus sancti Thomae, et domino Richardo de Ylburch nostrae ecclesiae cellerario et Mathia nostro notario arbitris seu arbitratoribus electis et constitutis a domino Th. praenominato sopita est in hunc modum, quod remisso penitus quolibet rancoris scrupulo inter ipsos dominum praepositum et conventum sancti Thomae et dictum dominum Th. invicem habito caritativo affectu se mutuo prosequantur, praefato domino Th. nihilominus iram suspicionem vel rancorem erga familiam dicti conventus habitum totaliter relaxante. Praeterea saepedictus dominus Th. destructis litteris seu instrumentis quibuslibet occulte vel manifeste contra dominum praepositum et conventum obtentis liberaliter renunciavit omni actioni, quam habebat seu habere poterat contra dominum praepositum seu conventum monasterii sancti Thomae apostoli in Lipzk et etiam